

Universitätsbibliothek Wuppertal

**Q. Horatii || Flacci Sermo-||nvm, sev Satyra-||rvm, sev
Eclogarvm libri || duo: Epistolarum li-||bri totidem.**

Horatius Flaccus, Quintus

Francofurti ad Moenum, 1577

10.

Nutzungsrichtlinien Das dem PDF-Dokument zugrunde liegende Digitalisat kann unter Beachtung des Lizenz-/Rechtehinweises genutzt werden. Informationen zum Lizenz-/Rechtehinweis finden Sie in der Titelaufnahme unter dem untenstehenden URN.

Bei Nutzung des Digitalisats bitten wir um eine vollständige Quellenangabe, inklusive Nennung der Universitätsbibliothek Wuppertal als Quelle sowie einer Angabe des URN.

[urn:nbn:de:hbz:468-1-306](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:468-1-306)

A *atteram, Qui hic commercaris civeis homines liberos? idem declarat lex 12. tabul. quamquam depravata sit, neque facile sit eam restituere. Hæcigitur verba legis videntur fuisse, SI VIS VOCATIONI EVAT, AVT SITE IN IVS VOCANTEM NON SE QVATVR, ANTESTATVS EM CAPITO, seu IN IVS EM RAPITO. Turn. sic restituendam putat, SI IN IVS VOCAT, NIT, ANTESTATVS MANVM INIICITO, AVREM ANTESTATI CAPITO. compositum autem est hoc verbum ab am, quod in compositione valet circum & testari. quamquam Priscian. aliter lib. 8. proferens illud Liniij Andron. Impubes libripens esse non potest, neque antestari. vult enim Latinū antestari, Græco illi ἀποδίαμαρτυρησῆναι respondere. sed errat.*

EGO VERÒ OPP. AVRIC.] ego præbeo illi auriculam, vt me testem sumat.

RAPIT IN IVS] garrulum. rapit autem vim significat, & acrius est, quàm ducit. rapere autem in ius suum aduersarium hîc licet litigatori, quia antestatus est. alioqui non liceret, vt diximus. sic fat. 3. lib. 2. Cum rapies in ius malis videntem alienis. Plautus Afin. Nam vidi hunc ipsum abducere, & rapere in ius Exerambum. Idem Aulul. Iam quidem ad Prætozem herclè te rapiam: & tibi scribam dicam. Ad prætozem trahere autem, & in ius trahere, idem valere, sciunt qui pandectas iuris ciuilibus vel extremis digitis attigerunt. Ius enim significat etiã tribunal, aut certè locū, vbi prætor ius dicit.

SIC ME SERV AP.] quidam hæc referunt ad Apollinis statuam eburneam, quæ posita erat in foro Augusti, vt significet Horatius, se raptò tandem in ius aduersario, quasi beneficio forensis Apollinis liberatum esse: à quibus dissentire nolim. habebatur enim deus ἀλεξίκακος & ἀποβοπιός Apollo, id est, malorum depulsor, & seruator. sed tamen credibile est, Horatium vna opera ad illum Homeri locum respexisse, vbi Æneam cū Achille congressum eripit Apollo. versus sunt hi *ἰλιάδ. 4. πόν δ' ἐξήραξεν Ἀπόλλων Ρεία μάλ' ὡς θεός, ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῆ.* id est, hunc autem valde facile eripuit Apollo, vt deus: multa autem caligine obtexit. sic & *ἰλιάδ. 7. Παριδὲμ, qui Menelaum ad singulare certamen prouocarat, ab eoque penè victus, atque ad nauis pertractus erat, eripit Venus. πόν δ' ἐξήραξεν Ἀφροδίτη Ρεία μάλ' ὡς θεός, ἐκάλυψε δ' ἄρ' ἠέρι πολλῆ.* id est, eum autem eripuit Venus valde facile, &c.

SATYRA 10.

NEMPE incompósito dixi pede currere versus

Lucill. quis tam Lucill fautor ineptè est,

Vt non hoc fateatur? at idem, quòd sale multo

Vrbem defricuit, charta laudatur eadè.

D Nec tamen hoc tribuens, dederim quoq; cetera. nam sic

Et Laber I mimos, vt pulchra poëmata, mirer.

Ergo non satis est risu diducere rictum Auditoris: & est quædã tamen hîc quoque virtus.

Est breuitate opus, vt currat sententia, neu se

Impediat verbis lassas onerantibus aureis.

Et sermone opus est modò tristi, sape iocoso,

Defendente vicem modò rhetoris, atque poëtæ,

Interdū urbani parcentis viribus, atque Extenuantis eas consultò. ridiculum acri Fortius: & melius magnas plerumque secat res.

Illi, scripta quibus comædia prisca viris est,

Hoc stabant: hoc sunt imitandi: quos neque pulcher

Hermogenes umquã legit, neq; simius iste, Nil præter Caluum, & doctus cantare Catullum.

At magnū fecit, quòd verbis Græca Latinis

Miscuit ô seri studiorum, qui ne putetis Difficile, & mirū, Rhodio quod Pitholeonti

Cotigit. at sermo lingua coccinnus vtrâq; Suauior: vt Chio nota si commista Falerni est.

Cum versus facias, te ipsum percontor: an, & cum

Dura tibi peragēda rei sit caussa Petilli: Scilicet oblitus patriaq; patrisq;, Latine

Cum Pedius caussas exsudet Poplicola, atque

Coruinus: patriis intermiscere petita Verba foris malis, Canusini more bilinguis?

Atqui

- A *Atqui ego, cum Græcos facerem, natus
mare citra,
Versiculos, vetuit me tali voce Quiri-
nus,
Post mediam noctem visus, cum somnia
vera:
In siluam non ligna feras insanius, ac si
Magnas Græcorum malis implere cater-
uas.
Turgidus Alpinus, iugulat dum Mem-
nona dumque
Defingit Rheni luteum caput, hæc ego
ludo:
Quæ nec in ade sonent certantia iudice
Tarpa:
Nec redeant iterum, atque iterum spe-*
- B *Etanda theatris.
Arguta meretrice potes, Dauoq; Chre-
meta
Eludente senem, comis garrire libellos
Vnus viuorum Fundani. Pollio regum
Facta canit pede ter percusso. forte epos
acer,
Ut nemo, Varius ducit. molle, atque fa-
cetum
Virgilio annuerunt gaudentes rure ca-
mæna.
Hoc erat, experto frustra Varrone Ata-
cino,
Atque quibusdam aliis, melius quod scri-
bere possem,
Inuentore minor: neque ego illi detrahe-
re ausim*
- C *Herentem capiti multa cum laude co-
ronam.
At dixi fluere hunc lutulentum. sepe fe-
rentem
Plura quidem tollenda relinquendis age,
quæso,
Tu nihil in magno doctus reprendis Ho-
mero?
Nil comis Tragici mutat Lucilius Atti?
Non ridet versus Enni gravitate mino-
res,*
- Cum de se loquitur, non ut maiore re-
prensus?
Quid vetat, & nosmet Lucilli scripta le-
gentes
Querere, num illius, num rerum dura
negarit
Versiculos natura magis factos, & eun-
teis
Mollius? at sit quis pedibus quid claudere
senis,
Hoc tantum contentus: amet scripsisse du-
centos
Ante cibum versus, totidem cenatus: E-
trusci
Quale fuit Casi rapido feruentius amni
Ingenium: capsis quem fama est esse, li-
brisque*
- E *Ambustum proprius: fuerit Lucilius, in-
quam,
Comis & urbanus: fuerit limatior idem,
Quam rudis, & Græcis intacti carmi-
nis auctor,
Quamque poetarum seniorum turba: sed ille,
Si foret hoc nostrum fato dilatus in æuum:
Detereret sibi multa: recideret omne,
quod ultra
Perfectum traheretur: & in versu fa-
ciendo
Sape caput scaberet: viuos & roderet
ungueis.
Sape stilum veritas, iterum quæ digna le-
gisint,
Scripturus: neque, te ut miretur turba,
labores,*
- F *Contentus paucis lectoribus. an tua demes
Vilibus in ludis dictari carmina malis?
Non ego. nam satis est equitem mihi plau-
dere: ut audax,
Contemptis aliis, explosa Arbuscula dixit.
Men' moueat cimex Pantilius? aut cru-
cier. quod
Vellicet absentem Demetrius? aut quod
ineptus*

A *Fannius Hermogenis ledat conuiuia Tigelli?*

Plotius, & Varius, Mecenae, Virgiliusque,

Valgius, & probet haec Octavius optimus, atque

Fuscus: & haec utinam Viscorum laudet uterque.

Ambitione relegata te dicere possum

Pollio, te Messalla tuo cum fratre, simulque

Vos Bibuli, & Serui, simul his te candide Furni:

Complureis alios, doctos ego quos, & amicos

B *Prudens praetereo: quibus haec, sint qualiacumque,*

Arridere velim, doliturus, si placeant spe Deterius nostra. Demetri, teque Tigelli

Discipularum inter iubeo plorare cathedras.

I puer, atque meo citus haec subscribe libello.

NEMPE INCOMP. DIXI P. C.] dixerat Horat. supra fat. 4. Lucillum duriusculum esse in componendis versibus: quo nomine fuerat à nonnullis accusatus, iis igitur nunc respondet, & se ita purgat, ut ostendat, se, quòd de Lucillio dixerit, iure dixisse, In nonnullis libris manuscriptis reperiuntur hic versus octo, quorum hic primus est, *Lucili quam sis mendosus, &c.* verum non sunt Horatiani, sed ab aliquo semidocto nebulo adiecti, qui, propterea quòd haec satyra initium capit à voce *Nempe*, putauit hic aliquid desiderari, cum plane nihil desideretur. Neque est quòd quemquam moueant veteres libri, si qui hos versus habent. Nam plures libros producere testeis possum, in quibus non reperiuntur. Praeterea si in omnibus libris antiquis reperirentur, non tamen iccirco necesse haberem fateri esse huius poetae germanos versus. Nam nullus ferè est liber Latinus manuscr. qui annos quadringentos superet. At hos alienos versus, puto annos ab hinc quadringentos esse factos, aut supra. Non est igitur mirum si in veteribus libris reperiuntur. Inest autem multo plus lepòris & venustatis in talibus principiis, praecisis (inquam) atque abruptis, quam planis, atque integris, propterea quòd quaedam relinquuntur auditori, seu lectori potius, subintelligenda, quae subintelliguntur concinnius, quam à poeta exprimerentur. Haec enim scilicet sunt subintelligenda. Quid est quamob-

rem tam grauitè accuser? aut quid est quòd ita de me querantur homines? *nempe incomposito, &c.* id est, plane fateor, me dixisse Lucillij versus esse incompositos, &c. Versus autem, quos dixi, sunt hi, si quis forte eos requiret.

Lucili, quam sis mendosus, teste Catone

Defensore tuo peruincam: qui male factos

Emendare parat versus: hoc lenius ille,

Quo melior vir est, longè subtilior illo,

Qui multum puer & loris, & funibus vdis

Exoratus, ut esset opem qui ferre poetis

Antiquis posset contra fastidia nostra,

Grammaticorum equitum doctissimus. ut redeat illuc:

Nempe incomposito, &c. Hos versus si quis non videt non esse Horatianos, in his litteris parum videt.

Primus versus in plerisque libris antiq. habet, *Lucili quòd sis mendosus.* Quartum nemo non videt claudicare. desinat autem claudicare, & recto stet talo, si sic legatur, *Quo melior vir is est.*

Quintus in quibusdam aliis libr. antiq. ita legitur, *Qui paullum puer, &c.* In sexto quaedam exemplaria habent, *Exhortatus.* Septimus hoc habet initium in quibusd. *Ambiguus posset.* Octauus ita legitur in quibusd. libr. *Romanorum equitum, &c.*

Ego igitur hos versus ἀβέλους, & delendos censui: quin etiam edi vetui, ut supposititios & adulterinos. mihi assentiuntur Io. Auratus, M. Antonius Muretus, Simeo Bosius, Io. Passeratius.

QVOD SALE MVL. VRB. DEFR. CH. I.] idem, quòd falsè, & vrbane ciuium Romanorum vitia notarit, eadem satyra laudatur, nempe illis versibus. *Hinc omnis pendet Lucillius hosce secutus, Mutatis tantum pedibus, numerisq. facetus.* non dixit, *salibus*, sed *sale*, ut esset tota ἀμύγγεια. quòd si salibus dixisset, trãslatio fuisset in verbo *despicuit.* quamquã negari non potest, salem etiã in numero singulari, vrbanitatem, & dicta falsa significare. Praeterea vrbem posuit pro ciuitate, seu ciuibus.

NAM SIC ET LABERIMIM.] nam si propterea, quòd vrbane, & facetè vitia reprehendit Lucillius, habendus esset in numero bonorum poetarum, eadè ratione Laberij mimi quoq. essent in bonis poematis numerandi. fuit autè Laberius, mimosum scriptor dicacissimus, ac maledicentissimus: à Iulio Cæsare tamen donis auctus, & annulo aureo ornatus. M. Tull. ad Trebat. scribens, significat, esse metuendum, ne si diutius ille cum Cæsare commoratus, ab eo redeat inanis, derideant eum Laberius, & Catullus, his verbis, *Sin frustra diutius asueris, non modo Laberium, sed etiam sodalem nostrum Valerium pertimesco. mira enim persona induci potest Britannici iuriconsulti.*

ERGO NON S. EST RIS. DID.] non est igitur satis auditoris os risu dilatari, id est, auditori risum profusum mouere, quamuis insit in hoc etiam quaedam virtus: sed opus est, &c. breuitas desideratur duabus de causis: primùm ut sententia currat, id est, ne claudicat, néve insistat: deinde ne & verborum multitudine se impediatur, & oneret auditorem.

DEFENDENTE VICEM] id est, tuente munus, ac parteis, &c. id est, ea cumulatè praestante, quae propria sunt rhetoris, aut poetae.

A VRBANI P. V.] *εἰρηστικός*, qui multo minus cōtendit, quàm potest.

RIDIC. ACRI FORTIVS: ET MEL.] plus interdum valet risus opportunus, quàm vis, & seueritas, & acrimonia. scribit Aristoteles lib. 3. de arte dicendi, Gorgiam Leontinum dicere solitum, res seueras, & serias risu: risum, rebus seueris discutiendum esse. M. Tull. pro Murena dicentem, risu mouendo, & auctoritate Catonis, qui erat vnus ex accusatoribus, illudenda, causam obtinuisse, locupletes auctores tradiderunt.

SECAT] decidit, terminat, finit. epist. 10. lib. 1. *Quo multa, magnæq; secantur iudice lites.*

ILLI, SCRIPTA QVIBVS] poëta veteris comœdiæ, Eupolis, Cratinus, Aristophanes, vt supra fat. 4. in princip. *quibus*, id est, à quibus.

STABANT] placebant, probabantur, nō explodebantur, *ἐκ ἐπιπλοῦ*, translatum ab actoribus, seu histrionibus, qui exsibilantur, & exploduntur, cum inepti & imperiti sunt: id est, eiiciuntur. contra stare dicitur fabula, cum probatur. epist. ad August. *Securus, cadat, an recto stet fabula talo.*

B PVLCHER] *εἰρηνικῶς*, homo bellus.

SIMIVS] ineptus imitator. Demetriū significat, de quo infra eadem fat. vel simiū fortasse appellat à forma, seu potius deformitate corporis.

NIL PRÆTER CALVVM, ET DOCT.] qui nihil aliud cantare didicit, quàm Caluum, & Catullum. neque verò est, quod quisquã existimet ab Horatio Caluum, & Catullum improbari: sed ineptos, & stultos imitatores. ordo est, nihil cantare doctus, id est, qui nihil cantare didicit, præter Caluum & Catullum.

AT MAGNVM FECIT] Lucillius verba Græca Latinis miscebat, vt apparet ex his versibus à me sic emendatis. *Quam lepide lexes composita, vt tessera omnes, Endo pavimento, atque emblemate vermiculato?* quos profert M. Tull. in orat. perf. sed corruptos. & ex his *Χαῖρε, inquam, Tite lictores, turma omni, cohorsq; Χαῖρ'.* hinc *MucI hostis Albu- cius, hinc inimicus.* quamquam in his posterioribus Albu- cius, qui Græcus dici malebat, quàm Romanus, Scœula de industria Græcè salutat. vide lib. 1. de finibus. & in his. *In quo Latin' clamores sophos ille solebat Edere,* qui citantur à Cicer. lib. 2. de finibus. Idem Lucillius M. Crassum, qui semel in vita risisse dicitur, *ἀγέλασσι* in satyra quadam nominavit, teste M. Tull. lib. 5. de finib. exstant & hi Lucillij versus ad hanc rem magnopere pertinentes, apud Nonium in voce, *compernes.* *Num censes καλλιπρόκομον, καλλίσφυρον illam, Non licium esse uterum, atque etiam inguina tangere mammis? Compernem aut varam fuisse Amphitryonis ἀκων, Alcmenam atque alias: Ledam ipsam denique nolo Dicere. iuste vide, atque διαλλαξον elige quoduis.* Τύρω *εὐπατέρεια aliquam rem insignem habuisse: Verrucâ, neuum, dicta est, dentem eminulum vnum.* sic enim hos versus emendo.

Ô SERI STUDIORVM] *ὀψιμαβεῖς* vno verbo appellant Græci, qui serò didicerunt. M. Tull. epist. ad Papir. Patum. *ὀψιμαβεῖς autem homines scis quam insolentes sint.* contra *παῖδομαθεῖς*.

qui à pueris didicerunt.

QVINE PVTTETIS, &c.] sic habent tres codic. Vatic. & Iann. Faër. Torn. & aliquot alij. Et Prisc. lib. 16. sic legit hunc locum, & ait ne conjunctionem esse neque dubitantem, neque interrogantem: sed confirmantem, aut certè enuntiantem. alterum exemplum profert ex faty. 3. lib. 2. *Clarus erit fortis, iustus, sapiens ne etiam, & rex.* vbi vulgò aliter legitur tamen.

VT, CHIO NOTA SI COMMISTA FAL.] Vt si vino Chio Falernum temperatum est, quod fieri solebat, vt vini Falerni austeritas vino Chio, quod erat lenius, ac mitius, obtunderetur. cur autem notam Falerni dixerit, vide supra Od. 3. lib. 2. ad illum locum, *Interiore nota Falerni.*

DVRA] difficilis: vt Terent. Phorm. *Verum scientem, tacitū causam tradere aduersariis, Etiamne id lex coegit? PHÆD.* *Illud durum. GET.* *ego expediam.*

CVM VERSVS FACIAS TE IPSVM PERC. &c.] ordo verborum & sententia huius loci hæc est. te ipsum percunctor, id est, ex te ipso quæro, cum versus facturus sis, & cum Petillij causa tibi sit agenda, an tu patriæ, & patris oblitus verba Græca patriis, id est, Latinis intermiscere malis, quàm puro sermone Latino uti, cum Pedius Poplicola, & Messalla Coruinus cautas agant Latine multo cum sudore?

PATRIÆ QVE, PATRIS QVE] oblitus Italiæ, quæ patria tua est, & patris tui, qui Romanus, aut certè Latinus est, vel erat, &c.

LATINÈ CVM PEDIVS CAVS. &c.] id est, cum hi duo præstantissimi, & clarissimi oratores, Petillij accusatores, Pedius Poplicola, & Messalla Coruinus, multum fudent in causis Latino sermone componendis, & agendis: id est, cum multum laborem, multamque operam sumant in causis Latine componendis, atque agendis, &c. Cum antea in omnibus libris vulgatis legeretur. *patriisq; Latini,* ego admonitus à duobus cod. Vat. & Tornes. veram scripturam restitui: de qua dubitaturum politum litteris arbitror neminem. quis enim non videt aduerbium *Latine* ad verbum *exfudet* pertinere? idque ignorantem confidentem aliquem librarium, aut lectorem, hunc locum corrupisse?

CANVSINI MORE BIL.] Canusinorum more, qui partim Græcè, partim Latine loquebatur. vide Festum in nomine *bilinguis.* *διγλωσσοσι* appellant Græci.

NATVS MARE CITRA] in Apuliæ finibus, non in Sicilia, aut Græcia.

POST M. N. V. CUM SOMNIA VERA] hoc enim maximè tempore, cum & confectus, depulsusque è pectore cibus est, & liber animus, ac solutus à cōtagione corporis futura prouidere potest, vera videntur in somnis. sic Theocritus in Europa, *εἰδ. κ. Εὐρώπη ποτὲ Κύπρις ὅππῃ γλυκῶ ἦκεν ὄνειρον, Νυκτὸς ὅτε τρεῖς ἀπὸ γῆς ἴσατε, ἐγγύθι δ' ἠαὖς, ἴππος ὅτε γλυκίων μέλιτος βλεφάροισιν ἐφίξων Λυσιμέλης πειδάμαλα κῶ κτ' φάτα δεισμῶ.* *Εὐτε, καὶ ἀπὸ τρεῶν ποιμαίνεται ἔθνος ὄνειρων* id est, Europæ quondam Cyprus dulce somniū misit: cum tertia pars noctis staret, aurora autem

A appropinquaret: quo tempore somnus melle dulcior palpebris insidens, membra soluens oculos molli somno deuincit: cum verorum somniorum natio pascens vagatur.

IN SILV. NON LIGNA FERAS INSAN.] id est, æquè fueris insanus, si tu Latinus Græcos versus scribas, atque si in siluam ligna feras.

TVRGIDVS] inflatus. **A. Cornelium Alpinum** designat.

IUGVLAT] dum ita inscitè, & ineptè Memnonis ab Achille iugulati historiam, seu potius fabulam narrat, vt Memnonem ipse iugulare videatur: & dum Rhenum fluuium ita ineleganter describit, vt luto conspurcare videatur, vel dum è luto caput Rheni defingit, hoc est, deformat, cum è marmore potius fingendum esset: hæc ego ludibundus scribo. Memno, & Hemathio fratres, Tithoni & Auroræ filij: quorum hic ab Hercule: ille ab Achille interfectus est. Hesiodus in Theog. Τηρόν δ' ἠὲς τέκε Μήμενον χαλκοκροστὴν Αἰθιοπῶν βασιλῆα, καὶ ἠμαθίωνα ἄνακτα.

DEFINGIT] deformat, illepidè describit, & inuenustè. In quibusdam codicibus legitur *diffingit*: in cod. Don. *depingit*. in Torn. & aliquot aliis, *Defingit*. ego *Defingit* verum esse puto.

LVTEVM CAPVT] per caput Rheni, significatur fons & origo Rheni: & tamen fluuij specie humana figurabantur: vt annotauimus supra ad Odam 14. lib. 4. luteum dixit, vel ad naturam fluminis spectans, quod turbidum est, vel ad inscitiam poëtæ, qui hunc fluuium inuenustè, & impolitè describeret. licet etiã dicere, spectasse Horatium ad opera fictilia, & è luto facta, quæ præ marmoreis contemnuntur, & iacent.

QUÆ NEC IN ÆDE S. CERT.] Quæ nec in æde Apollinis recitentur, vt subeant Mecij Tarpæ iudicium, nec iterum atque iterum spectentur à populo. de Mecio in epist. de arte poët. *Si quid tamen olim Scripseris, in Mec I descendat iudicis aureis.*

ITERVM ATQVE ITERVM SPECTANDA] quidam libri veteres habent, *spectata*.

ARGVTA MERETR. POT. D. Q3. CHR.] id est, tu Fundani vnus ex iis, qui hodie viuunt, potes omnium optimè comædiam scribere: tu omnibus hominibus præstas in scribendis comædiis: in quibus inducuntur meretrices arguta, & serui dominos fallentes dolis. vnus vinorū. εἷς ζώντων.

COMIS GARR. LIB.] nonnulli *comis libellos* coniunctè legunt, vt sit, *comeis libellos*, & interpretantur, urbanos, facetos, hilares. ego nullius sententiam reprehendo. vratur suo quisque iudicio. Verum tamen magis mihi placet, *comis* esse numeri singul. casus recti, vt cohæreat cum his, *tu vnus vinorū potes garrire libellos* *comis*, id est, *comiter*, hilariter, facetè, & comicè. Nam Varro lib. 5. de lingua Latina à Græco nomine Κῶμος, qui Deus hilaritatis, saltationis, lasciuia, intemperantiæ, & similia esse dicitur, ait Latinum *comis* ortum esse, indeque dictam à Latinis comassationem, seu potius commissionem, quemadmodū & à Græcis comædiam. Præterea hæc eadem sa-

tyra Lucillium bis *comem* appellat, semel ibi. *Nil D comis tragici mutat Lucillius Atti?* iterum ibi. *fuerit Lucillius, inquam, Comis & urbanus.* Postremò puto Horatium Græcum verbum κωμῶδῆν, quod est res urbanas, & Como dignas canere, seu dicere, his verbis *comis garrere libellos*, exprimere voluisse. Non ignoro tamen M. Tull. vocem *comis* aliter interpretari in orat. pro Corn. Balbo: cuius hæc verba sunt. *in quo erat accusatoris interpretatio indigna responsione, qui ita dicebat, comiter esse communiter. quasi verò priscum aliquod, aut insolitum verbum interpretaretur. comes, benigni, faciles, suaves homines esse dicuntur, qui erranti comiter monstrant viam, benignè, non grauati: communiter certe non conuenit.* Sed in iis, quæ in iudiciis habentur, orationibus, hominum auctoritates non sunt consignatæ. omnes enim illæ orationes, causarum sunt, & temporum, non hominum ipsorū, ac patronorum, vt ait idem Tullius in Cluentiana. Varronem igitur hic sequamur. Incidi etiã aliquando in quendam virum doctum, qui diceret *comis* hic esse septimi casus à Græco κῶμοι, *comi* numeri multitudinis, quod nomen significat cantilenas lasciuas, delicatas, molles, impudicas, conuiuio, & conuentu hominum intemperantium, & Como dignas: cum quo nolui pugnare.

POLLIO REG. FACT. CAN.] Pollio tragicædiæ Latinas, id est, Prætextas, scribit. Personæ tragicæ sunt, reges, principes, consules, prætores, tribuni pl. & similes personæ publicæ: res, & argumentum prætextarum, facta regum, & principum, & clarorum virorum.

PEDE TER PERCVSSO.] id est, senariis iambicis, qui trimetri appellantur. hæc malè distinguuntur in omnibus libris vulgatis.

FORTE EPOS] carmen longum, hexametrum, Meonium, seu Homericum, heroicū. nam tamen hoc nomine quilibet versus significetur & πᾶσις, tamen ferè semper Aristoteles, & Plato pro hexametro vsurpant. ille enim ἐπη, id est, epopœiam in libello περὶ ποιητικῆς, tragicædiæ opponit, his verbis: καὶ τὴν ἀρχαίων ὁμοίως ἐν ταῖς τραγωδίαις ποιεῖται, καὶ ἐν πῆξι ἐπιποιεῖται. id est, *atque primò similiter in tragicædiis hoc faciebant, & in ἐπιποιεῖται, id est, versibus heroicis.* vnde poëtæ epici dicti. Sic M. Tull. epistola vltima libri 3. epistol. ad Q. Fratr. *Quod me hortaris, vt absolnam, habeo absolutum suauis, mihi quidem vt videtur, ἐπος ad Casarem.* Plato item in Phædro, aliisque locis non quoduis carmen ἐπος appellat, sed hexametrum. sic Plato in illo dial. cum verbum illum protulisset, οὐκ ἔστιν ἀναγκαῖον, ὡς παῖδα φιλοῦσιν ἐρασαί, Vt lupus agnum, sic puerum expetit, ardet amator: rogatus à Phædro, cur finem loquendi fecisset, respondet, ἐκ ἡδονῆς, ὦ μακάριε, ὅτι ἤδη ἐπη φθέρομαι, ἀλλ' ἐκ ἐπιθυμίας, id est, non sensisti, o beate, me iam epe, id est, versus longos loqui, non dithyrambos? vide Eustath. in lib. 2. il.

VT NEMO] ita vt nemo melius. sup. Od. 6. lib. 1. *Scriberis Vario fortis, & hostiū Victor Mæonij carminis alite.* [al. aliti] dixit autem ducere epos vel propterea quod versus heroici fere aliis sunt longiores, ac productiores: itaque longi appellantur: vel (quod magis probò) quia epos dictum est

A est *τοῦτο δὲ ἐπισημαίνεται ἐν αὐτῷ τῷ ἔργῳ μὲν τοῖς ἀρχαίοις*. i. ob id quòd in eo primas parteis cetera consequuntur. Denique (vt semel dicam) fortasse intelligendus est Horat. vel ita dixisse *epos ducere*, vt solemus dicere, *lineam ducere*: quemadmodum enim mathematici aiunt lineam esse punctum productū: ita versus heroicus constat ex numerofo sermone ad iustam longitudinem, lineæ in modū producto. vel ita, vt *lanam, seu filum ducere, ac trahere*: ex quo Horat. alibi dixit *tenui deducta poemata filo* & M. Tull. *genus orationis tractum*. vel vt aurum, argentum, ferrum, & similia, duci dicuntur, quod est Græcis, *ἐλαύνεσθαι*.

MOLLE, ATQVE FACETVM] carmen tenerum, elegans, & politum. hæc sunt referenda ad Bucolica, & Georgicorum libros.

GAUDENTES RVRE] rustica, pastorales, bucolica. nondum scilicet hoc tempore Virgilius *Æneida* ediderat, & fortasse ne scripserat quidem.

HOC ERAT, EXPERTO] id est, ego nihil habui, quod potius, aut melius scribere possem, quam satyras: quod quidem genus Varro Atacinus frustra expertus est, & quidam alij, quos necesse non est nominare. De Varrone Atacino Quint. lib. 10. dictus est autem Atacinus ab Atace Narbonensis Gallia fluuio. fuit enim Varro ille Narbonensis.

INVENTORE MINOR] Lucillio. infra eadem saty. *Græcis intacti carminis auctor*. & saty. 1. lib. 2. *me pedibus delectat claudere verba Lucilli ritum, nostrum melioris utroque*. ibid. *quid, cum est Lucillus ausus Primus in hunc operis componere carmina morem?* &c.

AT DIXI FL.] hæc pertinent ad illum locū sat. 4. *Nam fuit hoc vitiosus: in hora sepe ducentos, Vt magnum, versus dictabat stans pede in uno. Cum fueret lutulentus, erat, quod tollere velles.*

SÆPE FERENTEM PLVR. Q. TOLL.] quasi ita dicat, non tantum hoc dixi, illum fluere lutulentum, sed etiam illud addidi, sæpe proferentem plura digna, quæ excipiantur, sumantur, & probentur, quam, quæ reiciantur, vel sic. At dixi Lucillum versus effundere ineleganteis, incompósitos, & incultos, vt torrens fluuius, lutulentus & turbidus fluit: seu aquam turbidam & lutulentam deuoluit, & præcipitat: Fateor, me hoc dixisse: sed addidi, *plura ferentem tollenda relinq.* id est, plura proferentem digna, quæ sumantur, & excipiantur, quam quæ omittantur, & negligantur. significat illū versus, qui paulò antè à me commemoratus est, *Cum fueret lutulentus, erat quod tollere velles*: cuius hæc sententia est, quantumuis alij reclamant, immò verò rumpantur licet: Cum Lucillius versus effunderet lutulentos, id est, impolitos, & ineleganteis (tralatio ducta à fluuio turbido, & lutulento) erat tamen aliquid, quod humi iacens tollere, & sumere velles. sic vsurpauit hæc verba *tollere & relinquere* epist. 7. ibi, *at tu quantumuis tolle*. deinde sequitur non longè, *hæc porcis hodie comedenda relinques*. est enim hæc illorum verborum sententia, tolle, id est, sume, porcorum quantum libet: si nō tolles, ea relinques porcis comedenda. En tibi tollere perspicuè idem va-

let illic quod accipere, sibi fumere, secum auferre: D
contrà relinquere, idem ferè quod aspernari, reicere, omittere. *tollenda* igitur, id est, sumenda, excipienda, vt de arte poetica. *hoc tibi dictū Tolle memor*.

AGE, QVÆSO] Dic mihi (amabo te) nihilne interdum reprehendis in Homero? nōne viri docti quædam in Homero improbant, quædam desiderant? Nōne Lucillius ipse, vrbaniſſimus, ac facetiſſimus poeta, nonnulla mutat in L. Attio tragico? Nōne versus Ennij notat interdum, & irridet, vt leuiore?

TV NIHIL IN MAGNO D. R. H.] Horatius epist. de arte poet. ait se indignari quandomcumque Homerus dormitat. Dormitat igitur interdum Homerus.

QVID VETAT ET NOSMET, &c.] si licuit Lucillio Attium, & Ennium reprehendere: quid vetat quo minus & nos Lucillij scripta examinemus, videamusque num vel sua culpa, vel earum rerum, quas tractauit, vitio non sit affectus compositum & politum scribendi genus?

MAGIS FACTOS] magis elaboratos, accuratos, expolitos. Græci dicunt *παιμνένους*, idque annotauit Muretus, & alij. ita M. Tull. in Bruto, *sed vt intellectum est, quantam vim haberet accurata, & facta oratio, &c.*

EVNTEIS MOLL.] molliores, concinniores, leniores. tralatio est a rebus animatis iter facientibus per loca plana. habent autem etiam carmina suos pedes. Quare non immeritò ire & currere dicuntur. sic Martial. *Carmina nulla probas, molli qua tramite currunt, Sed qua per salebras, atq; saxa cadunt.*

AT SIT QVIS] sic legendum, non *at si quis*: vt habent vulgati codices. Est autem totius huius loci sententia, At sit aliquis hoc vno contentus, nempe versus facere, qui singuli senis pedibus consistat: scribat ducentos versus ante cœnā, totidem à cœnā, &c., demus præterea Lucillium fuisse limatum, & accuratum scriptorem, quod non ita est: tamen si hodie viueret, multa inania, & superuacanea sibi amputaret, &c.

PEDIBVS QVID CL.] sic ferè loquitur satyr. 1. lib. 2. *me pedibus delectat claudere verba Lucilli ritum.*

DVCENTO S] supra sat. 4. *in hora sepe ducentos, Vt magnum, versus dictabat stans pede in uno.*

ETRUSCI QVALE FVIT] id est, qualis fuit Cassius Etruscus, Parmensis, de quo in epist. ad Alb. Tibull. *Scribere, quod Cassi Parmensis opuscula vincat?* quo versu laudat eum Horatius, cum & hoc, & proximo vituperate videatur. vel dicendū nō eò vituperari, quòd ei celeritatem ingenij tribuat, nec quòd tam multa eum scripſisse dicat, vt suis chartis, sine lignis, combustus fuerit: vel assentiendū iis, qui hunc Cassium Etruscum, aliū à Parmensi fuisse dicunt: quod mihi nō videtur. Reperti autem sunt in Brutijs versus aliquot huius Cassij Parmensis non ita pridem à Quadrimano quodam erudito iuvene: deinde ab Achille Statio, editi post lib. Suetonij de claris rectoribus: quos putavi hîc quoque non alieno loco ascribendos. *Cassij Parmensis Orpheus. Ar-*

A *guta primum cum plectra parentis & auro distincta sum sit citharam Rhodopeius heros: Ridebant sequeis pulsus, digitosq; micantis Serius, & chordis indocta dissona vocis. Mox pudor exardens, & gloria dulcis honesti Lusibus auertit puerilibus, omnis & illuc Perditus incumbens Musa pallebat amore. Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis Cantibus, hinc illinc discens dependet utrimque. Nulla Venus faciem cepit mentita dolosis Copedibus. somni fuerat, parcusq; Lyai: Donec ridiculus dudum modulamine siluas, Euulsosq; suis scopulos radicibus egit. Ausus & re viam uiuentibus inconcessam: Pœnarum oblitus demulsi carmine mancis. Non leuis ascensus, si quis petit ardua: sudor Plurimus hunc tollit, nocturno exsomnia otio Immoritur, delet quod mox laudauerit in se. Qui cupit aeternae donari frondis honore.*

CAPSIS QVEM FAMA EST, &c.] qui tam multa scripsit, ut suis libris fuerit ambustus, seu, ut habent quidam cod. *combustus*.

FVERIT] concessio. demus, eum fuisse urbanum, ac facetum: demus, eundem fuisse limatum & politum scriptorem.

FVERIT LIMATIOR IDEM, QVAM] hunc locum, quem scio difficilem, & impeditum haberi, sic expedio, atque explico. Demus (inquit Horatius) Lucilium limatiorem fuisse, quam auctorem satyræ Græcis intactæ esse videmus: quod idem fere valet, ac si dicat, demus, Lucillum fuisse limatiorem, quam ipse sit: atque ita nomen *rudis* in patrio casu accipio, & cum voce *carminis* coniungo. Nam quod alij faciunt *rudis*, recti casus, hoc modo: *fuerit limatior idem, Quam rudis*, id est, fuerit limatus potius, quam rudis, & impositus, hoc illi non rectè. Sic enim locutus esset Horatius, *fuerit limatior, quam rudior*, ut docent exempla. T. Liuius. lib. 28. *annalium. Acrior impetu, atque animis, quam compositior ordine villo pugna fuit.* Idem lib. 30. *de Fab. Maximo. cautior tamen, quam promptior hic habitus fuit.* Colum. lib. 6. *si longior fuerit, quam latior. Quinctil. salubrior studiis, quam dulcior. Paterculus. Festinationem itineris eius aliquandiu morata Massilia est: fide melior, quam consilio prudentior, sic & Græci Eurip. Medea, εἰς Ἰόλκον ἰσχυρὸν Σωὸς οὐκ ἀσθενέστερος μάλλον, ἢ σφοδρτέρα. carminis rudis autem, id est, satyræ nondum perfectæ.*

GRÆCIS INTACTI] quod Græci non attingerunt. Satyra enim (inquit Quinctil.) tota nostra est.

DILATVS] magna est hîc librorum antiq. varietas, in aliis enim scriptum est *delapsus*: in vno *dilapsus*: in vno *delatus*: in quattuor *dilatus*: quos secutus sum: & hunc locum sic explico. sed si Lucilius ad nostram ætatem esset referuatus, si nostra demum ætate introiisset in vitam, seu natus esset, &c.

DETERERET SIBI MVLTAM] detraheret, limaret, demeret.

RECIDERET] refecaret, amputaret, circumcideret.

QVOD VLTURA PERF. TRAH.] quod superuacaneum esset, quod redundaret.

CAPVT SCABERET, VIVOS ET] id est, sæpe torqueretur: seu multum sudaret, multumque

laboraret in versibus scribendis. ut epist. 2. lib. 2. *Ludentis speciem dabit, & torquebitur.* gestus sunt hominum in attentissima cogitatione defixorū, & eorum maximè, qui summam curam in scribendo ponunt.

VIVOS ET ROD. VNG.] vnguis vsque ad viuum roderet.

SÆPE STILVM VERTAS, &c.] monet hic Horat. ut sua quisque scripta mutet, limet, corrigat, & emendet. Est enim *stilum vertere*, scriptum mutare, inducta priore scriptura. M. Tull. lib. 2. *accusation. Vertit stilum in tabulis suis: quo facto carissam omnem euerit suam.* natum hoc loquendi genus à veterum consuetudine, qui stilo inuerso, id est, superiore stili parte, quæ erat obtusior, id, quod acumine, seu acie stili exaratum erat in tabulis ceratis, delebant, & ceram rursus complanabant. Ad hunc locum pertinet, quod est in epistola ad Augustum: vbi queritur suæ ætatis poetæ turpe sibi ducere, ea, quæ semel scripserint, immutare, his verbis: *Nam spirat tragicum satis, & feliciter aude: Sed turpem putat in scriptis, metuisq; lituram:* cui consentanea sunt illa in epist. de arte poet. *Nec virtute foret, clarisve potentius armis, Quam lingua, Latium si non offenderet unum Quemque poetarum lima labor.*

NE QVE, TE VT MIRETVR TVRBA, LAB.] contra se res habet in oratore: qui si probatur multitudini, non est, quod doctorum iudicium magnopere desideret, ut multis verbis docet M. Tull. in Bruto.

VILIBVS] parui pretij, contentis.

DICTARI CARMINA MALIS?] Perlius sat. 1. Ten' cirrorum centum dictata fuisse Pro nihilo pendas?

EXPLOSA] à plebe, & multitudine: ab equitibus autem probata.

ARBVS CVLA] mimæ: de qua M. Tull. ad Attic. lib. 4. *Quæris nunc de Arbuscula. Valde placuit. & meretrix, ut scribit Seruius commentar. in Gallum, ad illum versum: Incipe, sollicitos Galli dicamus amores, vbi hæc notat. post Citheridis discessum, quam Lycorin vocat. Fuerunt autem vno tempore meretrices tres Citheris, Origo, Arbuscula. Horat. explosa Arbuscula.*

CIMEX] credible est, hunc Pantilium ab Horatio ob immunditiam, aut scortorem, aut maledicentiam, cimicem esse nominatum: quod insectum est fætidum & mordax.

AVT CRUCIER QVOD] Nonnulli libri veteres habent, *aut cruciet quod*, quod si quis probabit, subintelligendum erit, *me*, ut sit *cruciet me*, id est, doleat mihi. Omnino scriptura recepta mihi probatur magis.

DEMETRIVS] quem supra simiū appellauit.

FANNIVS] de quo supra sat. 4. *beatus Fannius ultro Delatis capsis.*

OCTAVIVS] poetam Octauium intellige, non Octavianum eum, qui Cæsar Augustus postea dictus est. vide P. Victor. Var. lect. lib. 14.

AMBITIONE RELEGATA] id est, Sublata omni ambitione, depositoq; omni studio turæ gratiæ colligendæ, beneuolentiæq; acupandæ.

A **COMPLUREIS ALIOS]** aliquot libri manu scripti habent, *Complureisq; alios.*

PRVDENS] sciens: non per imprudentiam, aut ignorantiam.

ARRIDERE] probati, placere. quibus (inquit) hæc scripta mea, qualiacūque sint, placere velim, non feminis, & viris faminarum similibus.

DISCIPVLARVM INTER, &c.] sic scriptū est in trib. cod. Var. & Iann. Faër. Torn. Ruffard. Nicot. Cleric. neque verò dubium cuiquam debet esse, quin hæc sit recta, & vera lectio, tot codicibus confirmata, vt taceam, quòd eam Porphy. agnoscit. significat autem Horatius, hunc Her-

mogenem, vel feminis probari tantum, non viris: vel discipulos habere impudicos, & parum mares, & fortasse, qui magistro flagitiosè morigerarentur.

PLORARE] οἰμώζεν. Quemadmodum, quibus benè cupiunt Græci, eos iubent χαίρειν, εὖ ἀπαύσειν, id est, gaudere, & bene rem gerere: sic, quibus malum precantur, eos iubent οἰμώζεν, id est, plorare. vide annot. ad Od. 5. epod. ibi, *O multa fleturum caput.*

CITVS] citò.

SUBSCRIBE] in infima parte scribe: post alia scripta scribe.

SATYRARVM LIBER SECVNDVS.

SATYRA I.

B **V**NT quibus in satyra videar nimis acer: & ultra **E**
Legem tendere opus: sine neruis altera, quicquid
Composui, pars esse putat: simileisq; meorum
Mille die versus deduci posse. Trebati,
Quid faciam, præscribe. quiescas. ne faciam, inquis,
Omnino versus? aio. peream malè, si non
Optimum erat. verum nequeo dormire. ter vncti
Transnanto Tiberim, somno quibus est opus alto:
Irriguumq; mero sub noctem corpus habento.
Aut, si tātus amor scribendi te rapit, aude
Cæsaris inuicti res dicere, multa laborum
Præmia laturus. cupidum, pater optime,
vires
Deficiunt. neque enim quiuis horrentia
pilis
Agmina, nec fracta pereunteis cuspide
C Gallos,
Aut labentis equo describat vulnera Par
thi.
Attamen & iustum poteras, & scribe
re fortem,
Scipiadam vt sapiens Lucilius. haud mi
hi deero,
Cum res ipsa feret. nisi dextro tempore,
Flacci
Verba per attentam non ibunt Cæsaris
aurem:

Cui, malè si palpere, recalcitrat undique
tutus.
Quanto rectius hoc, quàm tristi ledere
versu
Pantolabum scurræ, Nomentanumq; ne
nepotem:
Cum sibi quisque timet, quamquam est **F**
intactus, & odit?
Quid faciam? saltat Milonius, vt semet
ictò
Accessit feruor capiti, numerusq; lucer
nis.
Castor gaudet equis: ouo prognatus eodè,
Pugnis. quot capitum viuunt, totidem
studiorum
Millia. me pedibus delectat claudere
verba

Lucili